



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Avgvstini Archiepiscopi Tarraconensis Dialogorum Libri Duo de emendatione Gratiani

Agustín, Antonio

Parisiis, 1672

XIX. De erroribus quibusdam & mendis Gratiani in distinctionibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10634

DE ERRORIBUS QUIBUSDAM
& mendis Gratiani in distinctionibus.*Dialogus decimusnonus.*

B. QUOTIENS in manus meas Gratiani liber venit, venit autem infrequens, totiens me à legendo deterret initium. *Humanum genus duobus regitur, naturali videlicet jure, & moribus. Jus naturale est quod in lege & evangelio continetur.* His addit multa ex Isidoro sumpta in etymologiis, quæ etiam huic divisioni repugnant, ut illud: *Fas lex divina est, jus lex humana.* Omne autem jus legibus & moribus constat. *Jus autem naturale est aut civile, aut gentium. Jus naturale est commune omnium nationum.* Id melius jus gentium dixisset. Sic enim postea definit: *Jus gentium appellatur, quia eo jure omnes ferè gentes utuntur.* Quasi verò jus omnium nationum naturale sit; omnium verò gentium, jus gentium. quo nihil ineptius inveniri potest. At hic noster jus naturale dixit quod in lege & in evangelio continetur. (1) *A. Non quidquid in Moyſis lege & in evangelio continetur, id jus naturale Gratianus appellat; sed vel de decalogo intelligi debet, vel de eo quod sequitur, cum quisque jubetur facere alij quod sibi vult fieri.* Sed age, videamus quid in prima distinctione Romani notant. **B.** Quod capite septimo in

*Vide dist. 5.
in prin. &
dist. 6. in fine.*

*cap. 7. Jus
naturale. dis-
tinct. 1.*

juris naturalis exemplis positum est, *liberorum successio, & puerorum educatio*, illi scribendum ex veteribus Isidori & Gratiani libris censent, *liberorum susceptio & educatio*. A. Id aptius est ut post viri & feminae conjunctionem scribatur, & in jure civili ita esse existimo: Hinc liberorum procreatio, hinc educatio. (2) B. Capite xii. dicitur: *Quiritium est proprie Romanorum, quod nulli tenent nisi Quirites*. Illi scribunt, quo nulli tenentur nisi Quirites, ex veteribus libris. Et quod postea sequitur: *In quo agitur de legitimis hereditatibus, vel curationibus, vel de contractibus*, ita mutant ut Contius admonuit. Delendum enim est hoc membrum, *vel de contractibus*. & pro *curationibus, cretionibus* est scribendum. A. Hoc etiam confirmatur veteribus libris; & Isidorus ipse notat quid cretio sit, post Ulpianum in fragmentis libri singularis regularum. (3) B. Initio distinctionis quintae in illis verbis, *Nunc autem ad doctrinam naturalis juris & ceterorum revertamur, differentiam pro doctrinam aptius scribunt*. Multa verò in hac quinta & in sexta distinctione dicuntur quae melius in alium locum Gratianus reservasset. Quod his verbis Romani notant: *Visum fuit Doctoribus ut distinctio haec sexta, quamvis superioribus parum coherere videatur, atque extra rem loco posita sit à Gratiano, neque tollatur, neque in alium locum transferatur. Hoc idem placuit congregationi generali. Scopus enim est hoc opus corrigere & supplere quae desunt Gratiano*

c. ut. e. di-
stinct.

Distin. 5. in
prin.

no, non decurtare. Mihi verò faciliùs omnia fanare in animo est. C. Quo tandem pacto? B. Una litura, ut ille noster ait. A. Jocaris tu quidem, ut soles. Sed quid de septima distinctione habes dicere? B. Permulta. Principio selecti viri notant neque Solonem primum Atheniensibus neque Trimegistum Ægyptiis leges tradidisse. De Solone aperta res est, cùm Draco legislator eo fuerit antiquior. De Trimegisto videndus Cicero lib. III. de legibus, & Lactantius lib. I. cap. VI. Institutionum. Item de nominibus Decemvirorum, qui XII. tabulas scripserunt, quæ referre Gratiano minimè fuit necesse, placuit illis patribus ut cum Fastis Capitolinis conferrentur. Quod verò sequitur, *Novæ autem leges à Constantino Casare cœperunt*, & quæ postea de Codice Theodosiano scribuntur, Isidori & Gratiani ignorantiam detegunt. Cùm enim potuissent in libris Justiniani certiora de origine juris & de tribus illis veteribus Constitutionum libris & quarto Justiniano atque de Novellis tam ejusdem Imperatoris quàm superiorum referre, hæc sola posteris reliquerunt quæ, ut Contiùs notat, in Alarici breviario continebantur. A. Quæ de Constantino dicuntur, accepta esse arbitror ex Theodosij Novella Constitutione a. Isidorum jus civile hoc à Justiniano editum ignorasse crediderim; à Gratiano video in hoc isto libro multa referri ex Digestis & Constitutionibus multorum Imperatorum. Et potuit ex Ivonis Panormia b, cujus mihi habuisse cognitio-

Dist. 7. c. 1.

Ibid. c. 2.

a Nov Theod.
& Valent. 1.

b Ivo li. 2. tit.
12. c. 7. 8. &
9. panorm.

c Ivo par. 4.
c. 170. & 171.
& 172. decr.
d Cæs. libr. 2.
c. 31. & 32.

e Dist. 8. c. 1.

f Ivo par. 3.
c. 194. decr.
g Ans. lib. 12.
c. 57.
h c. 4. veri-
tate dist. 8.

i Ivo lib. 2.
tit. 12. cap.
29. panorm.
& par. 4 c.
208. decr.
k Cæs. lib. 1.
c. 17.

e. 5. Si con-
suetudinem.
e. d. 8.

l Ivo libr. 2.
tit. 12. c. 30.
pan.
m Idem par.
4. c. 213. de-
cret.

nem videtur, hoc ipsum de Justiniano re-
ferre, quod etiam scriptum scio in excerptio-
nibus Ivonis *c* & in libro Cæsaraugustano d
ex historia Pauli Diaconi & Anastasij Biblio-
thecarij. (4) Dic nunc de distinctione octa-
va, si quid est nota dignum. B. Capite pri-
mo *e* mendosum est illud: *Vultis ut reticeamus
leges, ut gaudeatis? Recitemus enim scri-
bendum est, ut est apud Augustinum & Ivo-
nem f & Anselmum g.* (5) Capite quarto
pro illis verbis *Planè quis dubitet veritati ma-
nifeste consuetudinem cedere, scribendum ve-
ritati manifestata debere consuetudinem cede-
re?* Respondent enim verbis illis impugnan-
tium Augustinum: *Veritate manifestata, ce-
dat consuetudo veritati.* Quæ omnia non re-
ctè Ivo edidit in Panormia, in excerptionibus
vero rectè *i*, item liber Cæsaraugustanus *k*.
(6) Sequitur caput quintum, quod aliis sex-
tum esse placuit; quod caput primum est eo-
rum quæ Petrus Ciaconius ad te misit. Incidi
enim nuper in eum indicem incertorum capi-
tum Gratiani, quorum numerus est fere
DCC. A. Rem mihi pergratam feceris si de
his quoque locutus fueris. B. Nihil planè
eram dicturus, nisi cum illo indice, quid tu res-
cripsisses, invenissem. Illud igitur caput Gre-
gorio Papæ ad Guillimundum Averfanum
Episcopum inscribunt Ivo in Panormia *l* &
Gratianus, Gregorio VII. ad Vvimundum
Averfanum Episcopum idem Ivo in excerptio-
nibus *m*, Augustino Demochares & alij
non rectè. Romani in veteribus libris Gra-

tiani Gregorio VII. adscriptum referunt. Id igitur tantisper retineamus, quoad certiora inveniuntur. (7) A. In nona distinctione scio esse quædam verba Augustini malè accepta. B. Capituli quinti initium est: *Ego solis eis scriptorum, qui jam canonici appellantur, didici hunc timorem honorémque deferre.* Ivo in Panormia ita scribit: *Ego solis illis scripturarum libris qui jam &c.* In excerptionibus Gratiani scripturam confirmat. *eorum pro eis* habet liber Cæsaraugustanus n. cetera ut Gratianus. Romanis placet: *Ego solis eis scripturarum libris, aut eis scriptorum libris.* Et postea pro illis, *audeam credere, malunt, firmissimè credam.* quod etiam habent Ivo & liber Cæsaraugustanus. In extremo capite, in illis verbis, *non ideo verum putem quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi per alios auctores vel canonicas vel probabiles rationes, quod à vero non abhorret, persuadere potuerunt.* Romani mutant: *sed quia mihi vel per illos auctores canonicos, vel probabiles &c.* & abhorreat pro abhorret. quod postremum in Panormia est. sed non *canonicos* illic est, sed hoc: *vel per illos auctores & canonicas.* in excerptionibus est Romanorum scriptura. In libro Cæsaraugustano: *sed quia mihi vel per alios auctores & canonicas &c. abhorreat.* In libro beati Augustini est: *vel per illos auctores canonicos vel probabili ratione &c.* (8) Capite nono editum est: *primòque hoc genus litterurum ab auctoritate canonum distinguendum est.* Ex Augustino scribendum: *primò*

Dist. 9. c. 51
Ego.

Ivo lib. 2. tit. 11. c. 32. panorm. & par. 4. cap. 74. decr. in Cæs. lib. 14 cap. 8.

c. 9. Noli. d. 2.



quia &c. & canonis pro canonum. sic enim divinas scripturas appellare solet, non canones. A. Sic etiam Ivo o & Deus. dedit p & liber Tarraconensis q ediderunt. (9) B. Capite primo distinctione duodecima r duorum heroum scribendum censent pro duorum horum, ex Nicolai epistula quæ exstat ad Episcopos qui apud Convicinium villam publicam secus civitatem Silvanectis in Concilio convenerunt, & ex Anselmo Lucensi s. (10) Incerta capita sunt sex. Primum Felici adscribit Gratianus t post Anselmum u, quidam Felici tertio. (11) Secundum Leoni IV. ad Lotharium Augustum Ivo x & Gratianus y & liber Cæsaraugustanus z, cujus verba mendosa videntur: *De Capitulis vel Præceptis imperialibus vestris vestrorumque etiam Pontificum prædecessorum irrefragabiliter custodiendis.* A. Vox Pontificum, aut vox prædecessorum, supervacanea est. Agitur enim de Capitulis sive Capitularibus Imperatorum, quæ Lotharius postulabat à Pontifice Romano servari. Quamobrem omissa voce Pontificum, rectè dicetur, *vestrorumque prædecessorum.* Si verò vox Pontificum retineatur, de Pontificibus, hoc est, Episcopis, intelligi oportet, qui Capitularia in synodis cum Imperatoribus fecerunt. vox prædecessorum omitti debet. B. Utraque vox est apud Ivo- nem & in libro Cæsaraugustano. Sed varietas est in illis verbis, *vestris vestrorumque etiam.* Est enim in Panormia nostris nostrorumque; & in excerptionibus, *vestris nostro-*

o Ivo par. 4.
c. 236. decret.
p Deus-dedit
c. 2.
q Tarr. libr.
1. c. 143.
r Dist. 10. c.
1.

s Anf. lib. 12.
c. 34.

t Dist. 10. c.
Certum.

u Anf. lib. 4.
c. 11.

x Ivo lib. 2.

tit. 12. c. 12.

panor. & par.

4. c. 176. dec.

y c. 9. De ca-

pitulis. d. 10.

z Cas. libr. 1.

e. 61.

rumque etiam; in Cæsaraugustano, *vestris nostrorum &c.* Romanis placet, *vestris nostrorumque Pontificum prædecessorum.* Sed vidi manu Petri Ciaconis scriptum: *vestris vestrorumque prædecessorum.* A. Id igitur teneamus, quoad fontes aperiantur. (12) C. Cur addit Contius, *Sedit hic Leo hujus nominis primus Ludovici Pij filius &c. sub Michæle Orientis & Lothario Occidentis Imperatoribus,* cum neque hic Leo primus sit, sed quartus, neque aliquis eorum fuit Ludovici filius? B. Nunquam id Contius scribi jussit, sed librarij culpa est. Nam quæ erant Lotharij, dedit Leoni. Hic Lotharius primus fuit, Ludovici filius, Caroli nepos. Mox de Leone alia dicuntur perperam edita. Minus probo quod capite proximo ait, Joannem VII. fuisse feminam. Sunt alia nonnulla in hoc libro quæ Contij famam lædunt, de quibus alias. Tertium caput Joanni VIII. ad Ludovicum Imperatorem adscribit Ivo *a* & quidam veteres libri apud Contium, Joanni VII. Gratianus *b.* Ivoni autem magis credere debemus, quia prior fuit, & quia plura verba ex eadem epistula adfert, quæ idem Gratianus *c* Joanni VIII. adscribit, item Ivo *d* in epistulis. (13) Quartum caput Gelasio Papæ ad Rufinum & Aprilem Episcopos adscribit Ivo *e* & Gratianus *f* & liber Cæsaraugustanus *g.* Scribendum verò est, *Quis aut leges, non, Quis autem leges.* Item *admonitiones paternas, non modernas.* (14) Quintum eidem Pontifici ad Theodoricum

a Ivo par. 4.
c. 230. & par.
6. c. 115. decret.
b c. 10. Videt. d. 10.
c Dist. 86. cap. 3. Facientis.
d Ivo epi. 71. vel 38. Decano Belvacen.
e Ivo libr. 2. tit. 12. c. 3. pan. & par.
4. c. 179. & par. 6. cap. 104. decret.
f c. 11. Quis autem. d. 10. & d. 54. cap. 11. Quis aut.
g Cas. lib. 1. c. 55.

h Ivo d. tit.
12. c. 14. pa-
nor. & d. par.
4 c. 180. decr.
i c. 12. Cer-
tum. c. d. 10.
k Cas. d. li. 1.
c. 56.
l Ivo d. tit. 12.
c. 15. pan. &
d. par. 4. cap.
181. decr.

m Dist. 63. c.
16. Reatina.
& 31. Inter
nos.

Regem iidem tres adscribunt Ivo *h* & Gra-
tianus *i* & Cæsaraugustanus liber *k*. (15) ex-
tremum, Augustine, mihi concede laborem.
De extremo capite dicendum est, quod esse
Leonis quarti dicitur ad Lotharium Impera-
torem, quod latius Ivo *l* refert quam Gra-
tianus. Coniungi autem possunt eadem verba
cum verbis capituli *ix*. huius distinctionis de-
cimæ, de quo antea diximus, & cum capite
xvi. & *xxx*. distinctionis *lxiii*. *m* quam-
vis hæc duo ad Lotharium & Ludovicum
Augustos inscribantur. Hæc de sex incertis
capitibus huius distinctionis. (16) *A*. Placet
mihi tuum consilium, ut hic tuus sit huius diei
labor extremus.

A D D I T I O N E S.

(1) **H**oc est initium Gratiani voluminis in edi-
tione Gregoriana: *Concordia discordan-
tium canonum. Ac primùm de jure divinæ & humanæ
constitutionis. Distinctio prima. Humanum genus duo-
bus regitur &c. ut in dialogo. In Notis hæc sunt: Ac
primùm] Hoc loco in manuscriptis codicibus magna est
varietas. Nam partim nulla est hoc loco inscriptio;
partim verò legitur: De jure scripto & non scripto,
& quod cui præponatur, & legum auctoribus, &
duorum malorum electione, sive dispensatione. Aut:
Ac primùm de jure constitutionis naturæ divinæ &
humanæ. Aut: De jure naturæ, & humanæ consti-
tutionis. quam Dominicus de Geminiano agnoscit, &
extat in nonnullis antiquioribus editionibus. Aut: De
jure naturæ, & constitutionis. quæ inscriptio maxime
videtur convenire tractationi Gratiani, qui sæpe ad
hæc capita revertitur, ut initio distin. 5. 7. 8. 15. &
ii. q. i. c. Si quæ causæ, hunc totum locum indicans*

scribit: Require in principio, ubi differentia signatur inter jus naturale & jus constitutionis. Veruntamen in hac tanta varietate, qua, ut alia conjectura mittantur, argumento esse potest nullam hic à Gratiano ipso positam esse rubricam, satis visum est, retenta vulgata lectione, ceteras indicare. Distinctione quinta in principio hæc verba sunt: Nunc ad differentiam naturalis juris & ceterorum revertamur &c. Sed cum naturale jus in lege & evangelio supra dicatur esse comprehensum &c. In Notis est: Nunc ad differentiam] In vulgatis legebatur, Nunc autem ad doctrinam. Emendatum est ex vetustis codicibus & ex principio dist. 15. ubi hoc repetitur.

(2) Verba capituli 7. distin. 1. cujus initium, *Ius naturale*, in eodem libro hæc sunt: *ut viri & femina conjunctio, liberorum successio, & educatio &c. item deposita rei vel commendata pecunia restitutio &c.* In Notis est: *Successio*] In tribus codicibus manuscriptis Isidori & aliquot Gratiani legitur, liberorum susceptio & educatio. quæ lectio convenit cum l. 1. ff. de just. & jur. vers. hinc descendit. Ad vocem *commendata* additur in margine: *Al. commodata restitutio.*

(3) Capituli extremi ejusdem distinctionis primæ in eodem libro verba sunt: *Ius Quiritum est propriè Romanorum; quod nulli tenent nisi Quirites, id est, Romani. In quo agitur de legitimis hereditatibus, de cretionibus, de tutelis &c.* In Notis hæc sunt: *Cretionibus*] Antea legebatur, vel curationibus, vel de contractibus. Emendatum est ex codicibus Isidori tam impressis quàm manuscriptis. Quid autem sit *cretio*, declarat Ulpianus in suis titulis c. 22. & ipsemet Isidorus in eodem lib. 5. etymo. c. 24. In margine est: *Alciatus 3. dispunct. c. 7.*

(4) Nihil eorum quæ dicuntur addita fuisse à selectis viris dist. 6. in editione Romana invenitur. Fieri autem potuit ut ea postea improbata sint. Sic etiam dist. 7. c. 1. & 2. nihil in Notis adscriptum est. Quædam tamen nomina Decemvirorum sunt mutata. non rectè autem *Curatius* pro *Curiatius* scribitur. De voce *differentiam* pro *doctrinam* diximus in additione prima, in fine.

(5) Distin. 8. cap. 1. in eo libro inscriptio est: Vnde Augustinus ait tract. 5. ad c. 1. Ioannis. Quo jure defendis villas Ecclesia? divino, an humano? &c. In margine est: Ansel. l. 12. c. 62. Ivo p. 3. c. 194. Pann. l. 2. c. 63. In Notis: Ecclesia] Hac dictio non est apud beatum Augustinum. Nam ibi agit contra Donatistas, qui legibus Imperatorum villas sibi aemptas & Ecclesia catholica attributas esse querebantur. Quare cum Donatista dicerent villas nostras tulerunt, fundos nostros tulerunt, ut eos ipse convincat nullum jus in illis habuisse aut habere, quibusdam prepositis, addit ista: Quo jure defendis villas? divino &c. Et infra 11. q. 1. c. Si quæ causæ, ubi Gratianus citat initium hujus capituli, ista dictio Ecclesia non habetur. Est tamen apud Anselmum, Ivonem, & in Pannormia locis indicatis. Tolle] Quoniam glossa obstitit ne omnia emendarentur, aut adderentur quacumque addenda videbantur, placuit integrum apponere locum beati Augustini. Apud ipsum igitur, post verbum humano antecedentis paragraphi hæc sequuntur: Vultis legamus leges Jurisperitorum &c. vultis recitemus leges, ut gaudeatis quia vel unum hortum habeatis &c.

(6) Verba capituli quarti ejusdem distin. 8. in eodem libro hæc sunt: Item Augustinus lib. 3. de baptismo contra Donatistas c. 6. Veritate manifestata, cadat consuetudo veritati; planè respondeo, quis dubitat veritati manifestata debere consuetudinem cedere. In margine hæc sunt: Sub persona Libosi Vagensis. Et: Ivo par. 4. c. 208. Pann. l. 2. c. 165. infra ead. c. Qui contempta. Et vers. Item. Nemo. additur in margine: Ibid. c. 8. sub persona Felicis à Buslacensis.

(7) Inscripção capituli 5. ejusdem distinctionis est in eodem libro: Item Gregorius Vvrimundo Averfano Episcopo. Si consuetudinem fortassis opponas &c. Et in margine est: Al. Guitmundo. Et: Ivo p. 4. c. 213. Pann. l. 2. c. 166. Et in Notis: Gregorius.] In aliquot manuscriptis & apud Ivonem est, Gregorius VII. Et in hujus pontificatu Guitmundus Averfanus Episcopus scripsit de corpore & sanguine Domini contra Berengarium. qui liber extat.

(8) Hæc in eodem libro verba sunt cap. 5. distinct. 9. Idem (Augustinus) ad Hieronymum epist. 19. Ego solis eis scriptorum qui jam canonici appellantur didici hunc timorem honoremque deferre ut nullum eorum scribendo errasse audeam credere &c. In margine est: Ivo p. 4. c. 74. Pann. l. 2. c. 119. scripturarum lib. ori. & Pann. eorum auctorem in scribendo aliquid errasse firmissimè credam] orig. Ivo, & Pan. Et in fine: non ideo verum putem quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi per alios auctores vel canonicas vel probabiles rationes, quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt. In Notis est: Mihi per alios] Sic etiam in manuscriptis & in glossa. Apud beatum Augustinum est: mihi vel per illos auctores canonicos vel probabili ratione, nec multò secùs apud Ivonem. Alias verò nonnullas varietates satis visum est in margine indicare.

(9) Eiusdem Augustini verba sunt in eodem libro à Gratiano relata cap. 9. Noli. cad. dist. 9. cujus inscriptio est: Idem (Augustinus) ad Vincentium epist. 48. contra Donatistas. Noli frater &c. colligere velle calumnias ex Episcoporum scriptis, sive nostrorum, sive Hilarij, sive (antequam pars Donati separaretur) ipsius unitatis, sicut Cypriani, & Agrippini, primò quia hoc genus litterarum ab auctoritate canonis distinguendum est. In margine hæc sunt: Deus-dedit p. 2. Ansel. l. 4. c. 58. Ivo p. 4. c. 236. Et in Notis: Sive antequam] Antea legebatur, sive Cypriani, & Agrippini, antequam pars Donati separaretur. Restituta est vera lectio ex beato Augustino & aliquot exemplaribus Gratiani & Ivone. Cyprianus enim & Agrippinus multò ante Donati schisma in Ecclesiæ unitate decesserant, qua in re erravit auctor glossæ. Ad extrema verba (Deus vobis revelavit) additur: Ita etiam originale & Ivo & aliquot editiones novi testamenti. Sed idem beatus Augustinus in Ioannem tract. 5. 45. 53. & 98. & alibi ferè semper legit, revelabit, & explanat. Græcè est ἀποκαλύψαι. In scholiis: Donati] Donatus primò fuit catholicus; sed postea est in hæresim lapsus; cujus hæresi adhaeserunt Cyprianus & Agrippinus. Hæc falsa sunt.

(10) In eodem libro inscriptio capituli 1. distin. 10. hæc est: *Vnde Nicolaus Papa scribit Episcopis in Concilio apud Convicinum congregatis: Lege Imperatorum non in omnib. &c.* Et in margine est: *Ivo p. 4. c. 87. Pann. l. 2. c. 138. Anselm. l. 1. c. 97. Polyc. l. 1. tit. 27.* Et in Notis: *Lege] Caput hoc sumptum est ex epistola Nicolai, quæ extat in codice bibliothecæ Dominicanæ, de quo dictum est supra dist. 8. c. Mala. Titulus autem epistolæ hic est: Nicolaus servus servorum Dei reverendissimis ac sanctissimis confratribus nostris Metropolitanis Episcopis & ceteris diversarum provinciarum ac urbium præsulibus qui in Convicinum villam publicam secus civitatem Silvanectis convenistis. Eadem epistola nuper impressa est in Appendice bibliothecæ sanctorum patrum. Obviare] Apud Nicolaum sequitur continenter, ad quod ostendendum &c. Quæ autem apud Gratianum sunt interjecta, non sunt hoc loco in epistola, neque in Polycarpo, neque apud Anselmum. sed verba illa, Lex Imperatorum non est supra legem Dei, sed subtus, à Burchardo & Ivone citantur ex decretis Pij Papæ c. 3. Habentur autem in Capitularibus adjectis c. 17. reliqua autem habentur infra in hoc eodem capite p. Ecce quemadm.] Ad illa verba, *Item. Lex Imperatorum &c.* in margine hæc sunt: *Al. Idem. Et: In cap. adjectis cap. 17. Burch. l. 15. c. 10. Ivo p. 16. c. 11. Pann. l. 2. c. 139.* Ad illa verba, *Ad quod ostendendum duorum horum,* in margine additur: *heroum. orig.**

(11) Capituli tertij ejusdem distinctionis 10. in eodem libro inscriptio est: *Item Felix Papa. Certum est hoc &c.* In margine hæc sunt: *In exemplari Veronensi est, Felix III. Et: Anselm. l. 4. c. 11. Polyc. l. 1. c. 18. fortè, tit. 18.*

(12) Eadem distin. 10. capituli 9. in eodem libro verba sunt: *Item Leo IIII. Lothario Augusto. De Capitulis vel Præceptis Imperialibus vestris vestrorumq. Pontificum prædecessorum irrefragabiliter custodiendis & conservandis &c.* Et in margine est: *Ivo p. 4. c. 176. Pann. l. 2. c. 149.* Et in Notis: *Vestrorumq.] Epistola hæc non est inventa; & in istis verbis videtur subesse mendam. ex quo auctor glossæ errandi*

occasionem sumpserit, qui Christianis Imperatoribus, cujusmodi fuerant prædecessores Lotharij, attribuat illud quod Isidorus de ethnicis dicit, nimirum Imperatores solitos fuisse appellari Pontifices. de qua re optimè Gelasius in tomo de anathematis vinculo, & infra 21. c. Cleros. Apud Ivonem legitur, vestris nostrorumque etiam Pontificum prædecessorum; in Pannormia, nostris nostrorumque Pontificum & prædecessorum. Sed fortasse cetera quidem rectè apud Gratianum habent. Tantummodo ante dictionem prædecessorum est addenda conjunctio &, quemadmodum est in Pannormia. Nam hoc significabitur, Imperatores illos solitos fuisse edere capitula, adhibitis in consilium Pontificibus regni, quod verissimum est. Omnino hæc quæ à Leone scribuntur spectare videntur ad capitula Caroli & Ludovici, quæ Lotharius in universa Italia servari mandaverat. Nam in legibus Longobardicis lib. 3. tit. 35. Lotharius ita constituisse traditur: Placuit nobis ut capitula quæ excerptimus de capitulari bonæ memoriæ gloriosissimi Domini nostri Caroli & genitoris nostri Ludovici Imperatoris invictissimi, his omnibus & fidelibus nostris & sanctæ Ecclesiæ in regno Italiæ consistentibus per legem teneantur & serventur, & quicumque horum capitulorum contemptor extiterit, sexaginta solidis componatur. Id populo Romano, qui jure antiquo Romanorum uti prohiberetur, valde displicuit; sicut ex c. fin. infra eadem dist. colligi potest: disseminatusque etiam rumor fuit eandem esse Pontificis ac populi sententiam. De qua re Leo hac se epistola videtur purgare voluisse; & tamen postea pro conservando jure civili Romanorum cum eodem Lothario iterum diligentius egit. quod apparet ex d. c. finali. Inscriptio capituli ultimi est: Item Leo III. Lothario Augusto. Vestram flagitamus clementiam ut sicut hætenus Romana lex viguit &c. In margine est: Ivo p. 4. c. 181. Pann. l. 2. c. 152. Et in Notis: Vestram] Videtur Lotharius populo Romano, quod hic Leo petiit, concessisse. Nam in legibus Longobardicis lib. 11. tit. 57. sic habetur: Ut interrogetur populus Romanus quæ lege vult vivere. & sequitur constitutio; Lotharius Imperator. Volumus ut

cunctus populus Romanus interrogetur qua lege vult vivere &c. eidem legi, qua profitentur vivere, per dispensationem Pontificis & nostram subiacebunt.]

(13) Verba capituli 10. e. dist. in eodem libro hæc sunt: *Item Ioannes VIII. Ludovico Imperatori. Vides, fili charissime, quia quod contra leges accipitur, per leges dissolvi meretur.* In margine est: *Ivo p. 4. (deest, c. 230.) Inscriptio cap. 3. Facientis. dist. 86. hæc est: Item Ioannes VIII. In margine est: Greg. l. 7. reg. ep. 114. indict. 2. Pelagius 2. ep. 3. Eleutherius sup. dist. 83. c. Error. 2. q. 7. Negligere. & 23. q. 3. c. Qui potest. Ivo p. 6. c. 115. Et in Notis: Caput hoc ex variis sententiis hinc inde collectis confectum est, quarum prima usque ad vers. emendare sumpta est ex epistola beati Gregorij 114. lib. 7. ind. 2. Theodorici & Theoberto Regibus Francorum.*

(14) Ante caput 11. eiusdem distinctionis 10. hæc sunt in eodem Romano libro: *Item Gelasius Rufino & Aprili Episcopis. Quis autem leges Principum aut regulas patrum aut admonitiones paternas dicat debere contemni &c.* In margine est: *infra dist. 54. c. Quis aut. Ivo p. 4. c. 179. Pann. l. 2. c. 150. Ad vocem autem additur: Al. aut. Ad vocem paternas. Al. modernas. Inscriptio capituli 11. dist. 54. est: Idem (Gelasius) Rufino & Aprili Episcopis. Quis aut leges Principum aut patrum regulas aut admonitiones modernas &c.* In margine est: *suprà dist. 10. c. 11. Iustin. novell. consti. 123. cir. fr. Deus-dedit p. 4. Ivo p. 6. c. 104. & p. 4. c. 179. Pann. l. 2. c. 150.*

(15) Inscriptio capituli 12. eiusdem distinctionis 10. est in eodem libro: *Item Theodorico Regi. Certum est magnificentiam &c.* In margine est: *Ivo p. 4. cap. 180. Pann. l. 2. c. 151.*

(16) Capituli ultimi inscriptio posita est in additione duodecima. Inscriptio capituli 16. Reatina. dist. 63. hæc est: *Item Leo quartus Lothario & Ludovico Augustis. Et cap. 31. Inter nos. eadem inscriptio est semicirculis notata, & additur vox Palea. Et in margine: S. Antoninus ibid. (hoc est, p. 2. tit. 16. c. 1. para. 2.) Ivo par. 5. c. 52.*